



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De viro, qui eo prædicante in puteum cecidit, & inde illæsus extractus fuit.  
XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

tam verbo quàm exemplo, magnum præstitit sanctæ conuersationis ducatum, cum vniuersis fratribus secum in domo congregatis ad laudem Dei omnipotentis.

## CAPVT XX.

*De viro, qui in puteum cecidit, & inde illæsus extractus fuit.*

1. **A**Ccidit autem quodam tempore, vt plures ad audiendum verbum Dei, in antiquam domū prædilecti patris domini Florentij conuenirēt. Et dum collatio deuotæ exhortationis fieret, vir quidā cum aliis fidelibus sedebat super putei marginē; & oppressus somno, cecidit improuisè retro in aquā, capite verso. Ad cuius lapsum exterriti, qui aderant, mox in puteū dolentes respiciunt; & ecce Deo protegente, stetit homo super pedes suos in aquis putei saluus & illæsus, mirantibus cunctis. Sumentes ergo festinanter vectem desuper pendentē, submiserunt in os putei, & extraxerunt hominē viuū, quem existimauerunt penè submersum & defunctum. Videntes autem eum de tanto periculo liberatum, gratias Deo omnipotenti reulerunt, & consolati sunt nō minime; quia Deus non est passus hominem periclitari in illa domo subita morte. Hæc mihi quidam ciuis Cāpensis retulit, qui præsens tunc affuit, & Dauentriæ iuuenis frequentauit: sed & multa alia bona, de viro Dei & fratribus eius enarrauit. Et ego ex eodem puteo sæpius aquam hausi ad vsum coquinæ, qui satis angustus erat; & ideo res gesta ad gloriam Dei amplius valet, qui supra id quod petitur, occurrit periculis animarum.

## CAPVT XXI.

*De visione crucifixi super domum eius apparentis.*

1. **G**Rata admodum & Deo dilecta cōgregatio fratrum, in domo reuerendi patris domini Florentij ad laudē Dei collecta, magnis refulsit virtutibus, & sublimium meritorū actibus extitit decorata. Ibi humilitas, omnium virtutum prima, exquisita fuit à maiore vsque ad minimum, faciens de terrena domo paradysum, & transferens homines mortales in caelestes margaritas, tanquam lapides viuos in templo Dei glorificandos.

2. Ibi obedientia, mater virtutum & discretionis lucerna, viguit sub tanta disciplina; vt summa esset sapientia obedire sine mora, & nefas foret horrendū præterire senioris consilium aut minimum verbum. Ibi charitas ad Deum & ad proximum, sic arsit intus & extrā, vt dura corda peccatorum auditis sermonibus sanctis, soluerentur in lachrymas; & qui frigidi aduenerant,